

Utrum in entitate primi principii possit poni ratio formaliter numeri. Et arguitur quod non, quia in entitate primi principii non potest poni ratio formalis totius et partis, igitur nec numeri. Antecedens patet per Augustinum libro 3 Contra Maxim<sup>in</sup>um capitulo 10, et per Magistrum libro 1 distinctione 8. Sed consequentia nota, quia ubicunque est ratio formalis numeri, ibi est ratio totius et partis, cum omnis numerus habeat partes.

Ad oppositum sic, quoniam Iohannis apostolus 1 Iohannis 16 ait sic: *tres sunt qui testimonium dant in celo pater verbum et spiritus sanctus*, et hii tres unum sunt.

Respondeo: pro solutione quaestionis pono conclusiones. Prima conclusio est quia numerus est formaliter quedam forma absoluta et non respectiva. Probatur tripliciter.

Primo sic: omnis species quantitatis est forma absoluta. Numerus est huiusmodi, igitur. Maior patet, quia quantitas est predicamentum absolutum. Sed minor ponitur ab Aristotele in Predicamentis, ubi vult quod numerus est quantitas discreta.

Secundo sic: species respectiva magis convenit formaliter in genere cum specie respectiva quam cum specie absoluta. Statim patet hoc, quia convenientia specierum inter se provenit ex maiori ipsarum convenientia in genere, et e converso. Maior differentia specierum inter se provenit ex maiori differentia generum. Sed numerus convenit in genere cum forma absoluta, et non cum forma respectiva. Patet, quia numerus ponitur in eodem genere cum quantitate continua, quantitas autem (56vb) continua est forma absoluta, igitur et numerus.

Tertio sic: omnis forma respectiva in quantum huiusmodi dicitur ad aliud, sed numerus non dicitur ad aliud, igitur non est forma relativa, igitur est forma absoluta. Maior patet, quia esse relationis est ad aliud esse. Sed minor patet, quia numerus absoluta potest intelligi et concipi absque omni alio termino extrinseco, sicut dicendo dualitas non est formaliter quaternitas. Nulla enim re numerata intellecta, adhuc propositio dicta intelligitur vera.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: nulla forma absoluta fundatur per se super rem cuiuslibet generis. Sed numerus fundatur per se super rem cuiuslibet generis. Igitur non est forma absoluta. Maior apparet inductive, quia nec substantia que est forma absoluta, nec aliqua alia. Sed minor apparet, quia individua cuiuslibet generis sunt numerabilia, quia bene dicitur tres albedines, tres relationes, tres actiones, et sic de aliis generibus.

Secundum sic: nulla forma fundatur super aliquem respectum, igitur. Minor apparet, quia numerus trium relationum fundatur super tres relationes. Etiam maior patet, quia fundamentum non est munus solidum nec minoris entitatis quam illud quod supra ipsum fundatur.

Tertio sic: illud cuius ratio consistit in ordine et habitudine ad aliud est forma respectiva. Sed ratio numeri est huiusmodi, igitur, Maior patet, quia solius relationis esse est ad esse. Et minor patet: ratio numeri non potest absoluti a rebus numeralibus cum numerus sit alicuius numeralis numerus.

Respondeo. Ad primum dico quod maior habet veritatem de forma reali existente extra animam, cuiusmodi non est numerus. Sed non de forma rationis que est in anima, cuiusmodi est ipsa forma numeri, ut patebit. Anima enim per actus suos potest omne ens cernere, et quodlibet intelligere, tamen dicti actus sunt quid absolutum.

Ad secundum concedo maiorem de forma reali absoluta existente extra animam. Unde non videtur magis impossibile quod numerus fundetur super respectum quam super privationem. Et tamen secundum conceditur, quia bene dicitur quod cecitas et surditas sunt due privationes.

Ad tertium nego (57ra) maiorem nam esse cuiuslibet accidentis consistit in ordine et habitudine ad subiectum. Non tamen quodlibet accidens est respectivum. Ad probationem, dico quod aliquid dicitur ad aliud dupliciter. Uno modo tanquam ad terminum, et sic est quodlibet tale respectivum. Alio modo tanquam ad connotatum. Et sic non tale quodlibet est relativum. Dico igitur quod numerus dicitur ad numeratum, non tanquam ad terminum, sed tanquam ad connotatum, sicut forte intellectus dicitur ad rem intellectam, quia ipsam connotat etc.

Secunda conclusio: quod forma numeri est quedam summa representans numeranti distantiam ultime unitatis ad primam. Sic enim ymaginor quod quando intellectus multas unitates videt et computat quod ex hoc quedam summa sive quidam conceptus resultat in mente sibi representans, quanta distantia est ab ultima unitate ad primam, quod non est ad quam quedam summa representans quot unitates in tali distantia continentur. Probatur tripliciter.

Primo sic: illud est forma numeri per quod numerans cognoscit determinate multitudinem rei numerate. Sed per talem summam representantem talem distantiam, talem multitudinem determinate cognoscit intellectus, igitur. Maior patet, quia numerus non est nisi ad certificandum de tali multitudine. Sed minor patet, quia quanto magis talis distantie summa est, maior cognoscitur quod maior est talis multitudo, sicut si ultima unitas de sola distet a prima, ex hoc statim cognoscit intellectus quod ibi est dualitas. Si distet per unitatem mediam inter ipsam et primam, ex hoc consurgit in mente alia summa per quam cognoscit intellectus quod ibi est trinitas. Et sic de singulis.

Secundo sic: illud quod in se comprehendit equaliter realiter distincta pro eis supponedo ratione distantie ultimi ad primum est formaliter numerus, sed talis summa est huiusmodi, igitur. Maior apparet, primo namque quia numerus equaliter comprehendit numerata, ut puta tres homines currunt, quibus equaliter comprehenditur sub numero ternario, similiter sunt distincti realiter. Et tota ratio quare pro eis supponit ille numerus non est nisi talis distantia ab ultimo ad primum. Sed minor (57rb) apparet, quia omnia talia solum talis summa in mente existens valet facere. Et si vox hoc possit facere hoc solum facit in quantum est signum talis summe existentis in mente.

Tertio sic: hoc videtur de mente Philosophi 8 Metaphisice, textu commenti 10, dicentis quod forme substantiales sunt sicut numeri, per hoc ostendens quod sicut addita una differentia ipsi generi vel remota, statim variatur species. Sic est de numeris, et econverso, quod statim addita una unitate vel remota variatur forma numeri. Sed nulla forma potest ostendi variari nisi predicta summa representans numeranti distantiam ultime unitas ad primam, igitur.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: nulla forma alicuius entis est forma voluntaria variabilis et incerta. Igitur non est forma numeri vel numerus formaliter. Maior patet cum non sit in potestate voluntatis innovare species vel formas condere vel conditas variare. Sed minor probatur, quia ultima unitas est voluntarie variabilis. Similiter et prima, cum in potestate voluntatis sit quod intellectus numerans tres homines preponat Socratem et postponat Platonem. Et quod postea quod econverso faciat. Si igitur talis unitas ultima et prima est voluntarie variabilis, sequitur etiam quod ipsa summa patet, quia talis summa non est nisi talis distantia illarum unitatum. Sed variatis extremis variatur distantia ipsorum et extremorum, igitur.

Secundo sic: illud non est formaliter numerus, quod corrumpitur ipso numero manente. Sed talis summa corrumpitur manente numero, igitur. Maior patet ex terminis. Sed minor probatur, quia talis distantia corrumpitur et mutatur ad mutationem unitatum extremorum,

scilicet prime et ultime, et per consequens talis summa, et tamen non corrumpitur numerus, quia, si numerem Socrates et Plato, habeo dualitatem, et si convertam, scilicet preponendo Plato habetur idem numerus. Sicut prius, et tamen non habetur prima distantia. Igitur nec prima summa, igitur ipsa talis summa non est numerus formaliter.

Tertio sic: talis summa et distantia ultime unitatis ad primam est relatio. Igitur nec est formaliter numerus. Antecedens de se patet cum ipsa distantia ex se referat extrema, nec possit intelligi sine extremis. Sed consequentia (57va) patet, quia numerus est forma absoluta ut dicit precedens conclusio, igitur etc.

Respondeo ad primum concessa maiorem, nego minorem. Ad probationem dico quod licet intellectus numerans possit unitates mutare, non tamen ipsis manentibus potest mutare distantiam. Unde sive preponat numerando Socratem, Platonem sive postponat, erit tamen eadem distantia et multitudinis summa. Et cum dicitur quod variatis extremis variatur distantia, nego. Nisi forte dicas quod varietur numeraliter, sed non tamen specificè, immo nec forte numeraliter, et posset dari exemplum in distantia locali, quia posito quod in loco ubi est ille paries ponatur unum lignum et removeatur paries adhuc remanebit eadem distantia inter lignum et me que primo erat inter me et parietem. Sic dico de distantia unitatum. Dico etiam quod in conclusione accipio primam unitatem et ultimam formaliter et non numeraliter. Ideo dico quod licet manente eadem summa et numero et distantia, possint mutari ille unitates materialiter, non tamen formaliter.

Ad secundum patet per idem sicut ad primum.

Ad tertium, dico quod licet talis distantia sit relatio, tamen non talis summa, nec ipsa summa est ipsa distantia, sed ipsam representans numeranti etc.

Tertia conclusio est quod numerus est formaliter in anima et non est res realis extra animam. Probatur tripliciter. Primo sic: si numerus esset res realis extra animam, esset unum accidens reale. Sed hoc est impossibile, igitur. Probatur falsitas consequentis. Quia si numerus esset unum accidens reale cum omne accidens habeat esse in subiecto, aut erit in diversis subiectis, et hoc est impossibile. Aut in uno solo subiecto, ut puta in una sola unitate, et hoc est impossibile quia numerus denominaret illam unitatem et non alias, tum quia alie unitates nihil facerent ad numerum.

Secundo sic: si numerus sit formaliter ens reale extra animam, sequitur quod positus solum duabus rebus quod poneretur res infinite actualiter consequens falsum. Patet consequentia, quia tunc dualitas illarum duarum rerum esset res tripliciter ab ipsis distincta et illorum trium erit alia res quarta, scilicet quaternitas, et sic in infinitum. Et si dicatur quod licet numerus sit res que (57vb) dicitur extra animam, non tamen distinguitur a rebus numeratis, ut supponit argumentum. Contra: quia tunc sequeretur quod una res in creaturis esset realiter et essentialiter tres res distincte realiter, quia per te numerus ternarius est quedam res et est idem quod tres res realiter et realiter distincte numerate, quod tamen est falsum.

Tertio sic: nulla forma realis reflectitur supra se ipsam. Sed numerus reflectitur supra numerum. Igitur non est forma realis. Maior patet inducendo de singulis, nam albedinis non est albedo, nec anime est anima, nec superficiem est superficies. Et minor apparet, quia numerorum est numerus, quia tres ternarii sunt tres. Similiter dicimus duo milia, tria milia. Ista conclusio videtur de mente Aristotelis 4 Phisicorum, textu commenti capitulo 29, ubi ait quod, cum numerans non fuerit, numerare non erit. Igitur manifestum est etiam quod numerus non erit. Ex quibus verbis ostendit quod numerus vel est actus numerantis, scilicet anime, vel ab actu

ipsius dependet. Nulla autem res realis extra animam est actus anime, nec ab ipsa dependet, hoc etiam vult Commentator ibidem commento 29 dicentem "manifestum est quod cum numerans que est anima non fuerit quod tunc numerare quod est actio eius non erit et, cum numerare non fuerit, manifestum est quod numerus non erit.

Ex ista conclusione infero correlarium responsivum ad questionem, scilicet quod in entitate primi principii non est formalis ratio numeri, quia cum numerus sit formaliter in anima, sequitur quod numerus est quoddam accidens subjective existens in anima. Nullum autem accidens est in entitate primi principii, ut habetur distinctione 8, libro 1.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod numerus sit aliud a rebus numeratis, Consequens falsum. Et patet consequentia, quia ens quod solum habet esse in anima est aliud a rebus extra. Tu autem ponis numerum solum in anima. Res autem numerate possunt esse extra. Falsitas autem consequentis probatur, quia ad hoc sequitur inconveniens quod adducebas in secunda ratione pro conclusione, scilicet quod positus duabus rebus statim actualiter ponantur infinita. Quod sic deducitur, Quia positus duabus rebus ponitur numerus dualitatis, sed dualitas est aliud ab illis (58ra) Igitur ex istis consurgit alius numerus, scilicet trinitas. Similiter hic numerus ternarius est aliud ab illis numeratis, scilicet rebus extra. Et a numero ternario, et ex hoc consurgit quaternitas et sic in infinitum. Hoc autem est impossibile, igitur.

Secundo sic: illud quod per se est obiectum sensus est verum ens reale extra animam. Sed numerus est per se obiectum sensus, Igitur Maior patet, quia quodlibet obiectum sensus est sensibile et quodlibet sensibile est extra animam. Et minor apparet per Philosophum in secundo De anima textu commenti 24 qui dicit quod numerus, motus, magnitudo, quies et figura sunt sensibilia communia.

Tertio sic species predicamenti realis est verum ens reale. Sed numerus est huiusmodi, cum sit species quantitatis secundum Aristotelem in Predicamentis igitur etc.

Respondeo. Ad primum dico quod argumentum fundatur super una falsa imaginatione, scilicet quod positus duabus rebus necessario ponatur numerus dualitatis. Pro cuius evidentia pono aliquas propositiones.

Prima quod nullus numerus potest esse nisi anima actualiter numerante patet per Philosophum et commentatorem 4 Physicorum, ut allegatum est in ista conclusione.

Secunda, quod positus duabus rebus possibile est nullam animam numerare patet quia voluntas potest avertere intellectum a qualibet numeratione libere, ut docet experientia.

Tertia que sequitur ex istis est quod positus duabus rebus possibile est nullam dualitatem vel numerum esse. Patet, quia possunt esse due res absque hoc quod anima numeret, ut dicit precedens propositio et si anima non numeret non erit dualitas nec numerus<sup>1</sup> ut dicit prima.

Quarta quod positus duabus rebus possibile est illas animam numerare et numerum suum cum illis numerare et numerum numeri cum illis numerare, et sic in infinitum. Ista scilicet quod quodam numero dato anima potest illi numerum unum addere et numerum datum cum illis numerare, et sic numerum in infinitum potest multiplicare et hoc bene probaret forma argumenti. Ex hiis patet ad argumentum.

Ad secundum nego minorem. Ad probationem dico quod Philosophus ibi accipit numerum pro rebus numeratis vel numerabilibus et non pro ipso numero quo numeramus.

---

<sup>1</sup> numerus] numurus *con.*

Ad tertium nego simpliciter maiorem, immo dico quod nulla species est ens reale extra animam. Sed ipsam capiendo in bono sensu sic scilicet omnis species predicamenti realis est verum ens reale id est significans ens reale. Et pro ipso supponens adhuc est falsa, nam certum est quod habitus et dispositio sunt in anima et tamen sunt in prima specie qualitatis. Unde dico quod illa decem genera dicuntur decem predicamenta realia non quod in se sint vere res, quia nullum universale est extra animam, nec ex hoc quod quodlibet significatum ab ipsis secundum quod aliquod illorum possit supponere sit vera res, sed ex hoc quod quodlibet illorum generum potest supponere pro vera re extra animam licet non quodlibet illius generis etc.

Ad argumentum principale in oppositum, cum dicitur *tres sunt qui testimonium etc.*, patet solutio ex solutione primi argumenti contra secundam conclusionem. Quia non sequitur sunt tres., igitur ibi est numerus, vel dico quod ex auctoritate bene sequitur quod ibi sit numerus numeratus, sed non quo numeramus, vel quod ibi est res numerabilis, sed non forma numeri. Est tamen advertendum quod in tota questione ego intendo loqui de numero creato qui est accidens, et non de numero increato qui est Deus numerans et cognoscens singula de quo numero loquitur Iob: Deo, dicens: *numerus mensium eius apud te est*. Qui numerus est solum Dei cognitio cognoscens menses hominis etc.